10

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SYNCOPE ANGENTE.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
SYNCOPE ANGENTE:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS CLARKE,
ANGLUS,
SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

" *Lethalis hiems paulatim in pectora venit:*
" *Vitalesque vias, et respiramina clausit.*"

OVID.

Octavo Kalendas Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1802.

VIRO ERUDITISSIMO,

JACOBO GREGORY, M. D.

MEDICINÆ PRACTICÆ

IN

ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI;

TAM

LITERIS HUMANIORIBUS ET RECONDITIS,

QUAM

MEDICINÆ SCIENTIA, ET IN PATRIAM PIETATE,

INSIGNI;

HANC DISPUTATIONEM,

ANIMI

ACCEPTAM OB AMICITIAM

GRATI

MONUMENTUM,

D. D. C.QUE

JACOBUS CLARKE.

VIRO HONORABILI,

JOANNI PEACHEY

DE

NEWSELLS,

IN

HERTFORDIÆ COMITATU;

NON SOLUM

NOBILITATE GENERIS

SED ET

SUA VIRTUTE

ILLUSTRI;

HOC

ANIMI GRATI ET BENEFICIORUM MEMORIS

PIGNUS

OFFERT

JACOBUS CLARKE.

Longum mihi commeatum dederat mala valetudo: Repentè me invasit. Quo genere? inquis.—Uni tamen morbo quasi assignatus sum: Quem quare GRÆCO *nomine apellem nescio: Satis enim aptè dici* SUSPIRIUM *potest. Brevis autem valdè, et procellæ similis, impetus est: Intra horam ferè desinit.—Omnia corporis aut incommoda, aut pericula, per me transiêrunt: Nullum mihi videtur molestiùs.——Deinde paullatim suspirium illud, quod esse jam anhelitus cœperat, intervalla majora fecit, et retardatum est, ac remansit. Nec adhuc, quamvis desiêrit, ex naturâ fluit spiritus: Sentio hæsitationem quandam ejus, et moram. Quomodo volet, dummodò non ex animo Suspirem.*

SENECA.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SYNCOPE ANGENTE.

---

§ I. MORBORUM, qui mortales adoriuntur, pauci formidolosiores sunt certiùsve lethales, quàm *syncope angens*; de qua nobis consilium est pauca scribere.

II. Pauci tantùm anni sunt, cùm medici hunc morbum accuratè descripserunt; et pauciores adhuc, cùm, incisis cadaveribus, pervestigârunt causas, et ex his cognitis intel-

 lexerunt

lexerunt naturam. Neutiquàm tamen hinc concludere licet, hunc novum morbum esse, sed potiùs ejus signa confusa cum iis aliorum, qui cor pulmonesve afficiunt.

III. Ut hujus morbi tàm causas cognoscerent atque naturam, quàm curationem explicarent, medici haud pauci præclari summam nuperrimè curam impenderunt, et multa sanè, de eo, anteà incognita tradiderunt scriptis; imprimìs autem PARREIUS BATHONIENSIS, ex cujus opere multa excerpsimus.

DE-

DEFINITIO.

IV. Aliis hunc morbum verbis alii medici definiêrunt. Sed, additis perpaucis, definitionem PARREIANAM accepimus; utpotè quæ, nostrâ opinione, cæteris aptiùs ejus naturam aperiat.

"*Syncope angens, à corporis motu, inter ambulandum sæpè oriens, præeunte anxietate, angustiæ sensu, vel pectoris dolore notabili, per mammam sinistram, præcipuè pertendente, sine cordis palpitatione, raro cum dyspnœa.*"

SIGNA.

SIGNA.

v. Morbus, de quo scribimus, incertis intervallis incursat, at ex manifestis plerumquè causis. Dum enim miseri, quos afficit, vehementiùs continenti spiritu quidlibet moliuntur; dumve, stomacho pleno, concitatiore gradu ambulant et vento adverso, accliviaque ascendunt; eos derepentè incessit, gravissimèque angit.

vi. Insolitam aliquandò pectoris angustiam sentiunt; sæpiùs verò dolorem acutissimum, verbisque descriptu difficillimum, qui nonnunquàm ad scrobiculum cordis incipit, sæpiùs sub aliqua sterni parte. Hinc illincve subindè permanat, mammarum alterutrius viâ, ad alterutrum humerum; at sæpiùs sinistrum, quippè cùm sinistrum latus sæpiùs afficiatur.

Nonnunquàm

Nonnunquàm autem dolor *mediastinum* pervadit ad dorsum; atque ipsi ægro videtur, qualis ex sterno ad vertebras retracto oriretur.

VII. Dummodò miseri, hoc morbo correpti, nisus aut exercitationem non intermittant, dolor magis intenditur magisque, donec tantus evadat, quantus præsentem mortem afferat. Conquiescit autem, simul ut, nisibus intermissis, tergove ventis obverso, paulispèr respiraverint. Sed narratur, quantùm scimus, duntaxat unum exemplum, ubì, dum in nisu perseverabatur, intermisit dolor.

VIII. Morbo intermittente, dolor plerumquè retrograditur cursum. Aliquandò adeò repentè decedit, reditque, ut, tantùm non eodem momento, homo fruatur intercapedine, et dolore crucietur. Intermissâ exercitatione nisibusve redintegratis, eadem, quæ anteà urgebant, mala redeunt. Urget simul anxietas, quantam verbis exprimere non possumus,

quantaque

quantaque ægro mortis metum injicit. Nonnunquàm quoque magna spirandi difficultas est: at perrarò, namque plerique eorum, qui hoc morbo confli&tantur, possunt animam reciprocare; imò, spiritum penitùs trahere, id sanè, quod anxietatem haud parùm levet. Quin et nonnulli, hoc morbo vexati, ex vertebris quàm possunt maximè extentis, aut dorso sellæ aliive cuilibet obvio quàm arctissimè oppresso, aut spiritûs ructatione, malorum levamentum accipiunt.

IX. Inter *syncopes angentîs* accessionem, arteriarum pulsus ferè naturales sunt; nonnunquàm autem debiles, frequentes et inæquales. Joannis Hunteri, corporis scientiâ præclarissimi, qui morbo, quem persequimur, aliove aliquo huic persimili, vivus laborabat, itemque aliorum quorundam, arteriæ subindè sese movebant adeò imbecilliter, ut ictus vix percipi possent.

X. Hoc

x. Hoc morbo laborantes, sæpè, de molestissmo gutturis sensu, conqueruntur ; ei, utì putant, haud absimili, quo gula exulcerata, aut fervidâ aquâ ambusta, eos afficeret.

xi. Quos hic morbus semel adortus est, ii, quod superest ævi, opportuni sunt, quos affligat. Imò, vertentibus annis, frequentiùs plectuntur frequentiùsque, et levioribus causis. Quoties enim subitò exsurgunt, vel equitant, vel proclinant sese vel resupinant, vel tussiunt vehementiùs ridentve, vel alvum tardam astrictamve exonerant, morbo corripiuntur. Nihil autem æquè valet ad hunc morbum excitandum, atque ira, furor, æstus, mœror, terror, aliique turbati animi motus. Hujusmodi enim perturbationes tantam vim accessionis movent, quanta præsentem mortem intentat, neque rarò miserum ſubitò intercipit.

xii. Quò frequentiores accessiones sunt, eò graviores, fugatuque difficiliores. Majore ur-

getur anxietate æger, et nonnunquàm aliquantispèr sensu prorsùs orbatur. Quanquam autem plùs semper languet animus, minùsve, raró tamen deficit: quippè, utì benè sciunt medici, in accessionibus vel gravissimis, imò mortem allaturis, ægri sæpè animo non linquuntur.

XIII. Tandem miserum, vel dum quiescit, et omni motu abstinet, morbus invadit; atque, seriùs aut ociùs, improvisa vis lethi miseriis, quas nescit levare medicina, simul et vitæ, ponit finem.

XIV. Quanquam autem *syncope angens* miseros, quos adoritur, tardiùs ociùsve rapit, mala tamen, quibus vivos afficit, aliàs aliquatenùs alia sunt. Dolor enim haud semper in eadem parte est. Nonnunquàm alterutrum humerum corripit, ubì inseritur *musculus pectoralis* aut *deltoides*, undè pertendit ad sternum. Aliquandò percurrit, ad digitorum apices

apices usque ; aliquandò, non ultra cubitum. Quinetiam, modò unam mammam pervadit ; modò, utrasque.

xv. Spirandi difficultas, utì Parreius putat, duntaxat imperpetuum signum est, neque digna quæ in definitione comprehendatur. Quum verò plerumquè urgeat plùs minùs, oportet, nostrâ opinione, in definitione eam memorare.

INTROSPECTA CADAVERA.

XVI. Cadaveribus eorum patefactis, qui *syncope angente* periêrunt, morbida quædam aut cordis, aut vasorum eo enatorum, oculis obveniunt. Magna plerumquè vis adipis cor investit. Nonnunquàm musculosæ ipsius cordis fibræ flaccidæ sunt, tenerrimæ, laceratuque faciles. Cava ejusdem sæpè sanguine vacua sunt; atque carnosæ partes pallidissimæ, perindè ac si plurimâ aquâ iterùm iterùmque perlutæ.

XVII. Quinetiam, plerumquè aut valvulæ magnæ arteriæ, aut valvulæ ventriculorum, aut arteriæ *coronariæ*, plùs minùs osseæ sunt. Aliquandò tamen paucæ tantùm particulæ cordis, vasorumve majorum, osseæ apparent: imò, in corde ægri, cujus saluti consulebat FOTHERGILIUS, conspiciebatur

conspiciebatur una duntaxat particula ossea, eaque prope apicem.

XVIII. In nonnullis cadaveribus, cor, et vasa magna quæ corde enascuntur, aliquantò duriora sunt et ampliora, quàm ex consuetudine. Siquandò in cordis cavis continetur sanguis, liquidus est.

XIX. In perpaucis cadaveribus, nullum morbidorum, quæ memoravimus, conspicitur, aut in corde, aut in vasis quæ ex eo oriuntur. Verùm sæpenumerò, aut in *pericardio*, aut in alterutroque *pleuræ* sacco, plus minus humoris, supra modum naturalem, effusi conspicitur.

DIA-

DIAGNOSIS.

XX. Soli morbi, qui, pro *syncope angente*, haberi possunt, sunt *asthma*, *hydrothorax*, *hydrops pericardii*, et *aneurysmus*. Quibus igitur notis ab his dignoscatur, paucis dicendum est.

XXI. *Asthma*,—et *syncope angens*, differunt, quòd illo morbo correpti animum respirant et reddunt, ex difficili, cum strepente sibilo; sed hoc laborantes raró magnâ spirandi difficultate afficiuntur, at semper speciali dolore.

XXII. *Hydrothoracem*,—et *syncopen angentem* distinguere, haud itá difficile est. Namque mala, quibus ille morbus mortales afficit, contrà atque ea, quibus hic, continuant, nec re-

missionibus

missionibus interpositis, nec integritatibus. Quinetiam, in hoc morbo, contrà ac in illo, nullus, agitato thorace, fluctisonus intùs humor sensu percipitur, et mala, quæ perurgent, ægro recumbente levantur. Hi autem morbi, haud rarò, consimiles movent dolores.

XXIII. *Hydrops pericardii,*—constante præcordiorum gravitate ægrum afficit; *syncope angens* non, nisi ubì urgent accessiones. Quinetiam, hic morbus intermittit sic, ut integritas sequatur; atque, per integritates, pulsus arteriarum naturales sunt: ille continuat eodem fermè tenore; et arteriarum motus cùm vi inæquales sunt, tum temporibus.

XXIV. *Aneurysmus*—perpetuum angorem et præcordiorum gravitatem facit, crebrasque movet cordis palpitationes; non item morbus, quem persequimur.

XXV. Quò verò medici hos morbos certiùs internoscant, non solùm percunctandum est, quibus malis æger prematur, et investigandum, quibus causis ortus sit morbus; sed etiam considerandum, quo temperamento corpus sit. His enim cognitis, tam faciliùs, quàm certiùs, discernent, quo æger morbo implicetur. Indicium *syncopes angentis* maximè indubium, est, utì PARREIO videtur, angor intolerabilis, perindè ac si mors faucibus urgeret.

CAUSÆ

CAUSÆ REMOTÆ.

XXVI. *Syncope angens* mortales nunquàm, aut certè rarissimè, invadit, qui nondùm quadragesimum ætatis annum transegerint. Vergentes annis præsertìm afficit, qui temperamento corporis sanguinei sunt, habitu obesi; qui ignaviâ et socordiâ torpescunt, juvenilibus virilibusque annis haud ità soliti; quique, ventri obedientes, opiparis dapibus apparatioribusque gulæ indulgent. An verò ebriosi, præ siccis, huic morbo obnoxii sint, nondùm satìs constat. Eorum, quos superavit, multi gulosi fuerunt; sed haud scimus, an ulli fuerint poculis dediti. BLACKIUS, medicus HIBERNUS, dubius quærit, nunquandò fœminas incessat. A MORGAGNO discimus, duas certè intercepisse.

XXVII. Nuperrimi quidam auctores GERMANICI censent, *syncopen angentem* podagræ congenerem

genererem esse, et cognatam. Nihil autem est, quantùm scimus, quod horum opinionem confirmet. Neque, enimvero, possumus negare, podagrosos *syncope angente* nonnunquàm corripi ; eòque minùs, quòd unum, utì nobis videtur, exemplum literarum memoriæ PARREIUS consignavit. Hoc tamen dicere licet, nihildum cognovisse medicos, undè certò concludant, podagræ et *syncope angenti* esse generis et naturæ communitatem.

XXVIII. Quibus potissimùm causis reducuntur hujus morbi accessiones, eæ sunt, nisus vehementiores et subiti, atque animi repentinæ commotiones, seu perturbationes ; quæ, quò sæpiùs redierunt accessiones, et quò graviores sæpè redeundo evaserunt, eò ad revocandas plùs valent. His causis accedant rectæ carnivoræque cœnæ, et nimia VENERIS militia. MORGAGNUS meretricis mentionem facit, quæ, dum inibatur, *syncope angente* intercepta est, repentinâque stuprum luit morte.

SIG-

SIGNORUM RATIO, ET MORBI NATURA.

XXIX. Quæ morbi, quem persequimur, natura sit, parùm etiamnum cognoscunt medici. Neque, enimvero, hoc mirum est; cùm præsertìm, cadaveribus incisis, nondùm potuerint explorare, ex quibus abditis causis oriatur. Plerique contendunt, ex musculosarum cordis fibrarum spasmis oriri; alii opinantur, ex quadam nervorum conditione proficisci; et profectò sunt, qui à cordis, aut vasorum, quæ hinc enascuntur, proprietate provenire censeant.

XXX. Nostrâ opinione, *syncope angens* consistit in cordis imbecillitate, præ quâ, ad sua munera invalidum est. Hæc verò invaletudo

oritur aut ex arteriis, quæ in ejus substantiam sanguinem distribuunt, et CORONARIÆ appellantur, in os conversis, aut adipe aquâve ipsum comprimente.

XXXI. At neutiquàm tamen PARREIO accedimus, cordis invaletudinem unicam *syncopes angentis* causam esse. Cadavera enim haud pauca secta sunt, in quibus nihil, aut in corde, aut in vasis majoribus quæ ex eo enascuntur, præter naturam, oculis sese obtulit. Hoc cognito, æquum est, utì MONRO censet, efficere, hunc morbum aliis haud rarò causis oriri.

XXXII. Verùm concedendum tamen est, arterias, quæ in cor sanguinem diffundunt, quo nutriatur, quâcunque causâ impervias, facere, ut carnosæ fibræ flacceant, et sic ut morbus, quem agitamus, aut oriatur, aut ortus gravior fiat.

XXXIII. Quinetiam, adipe, circa cor et in *mediastino* cumulato, aut effusâ aquâ in sinistro præsertìm thoracis cavo, cor impeditur, quò minùs sese amplificet, et conductum per venas accipiat sanguinem. Quò verò minus sanguinis unâ amplificatione accipit, eò crebriùs sese amplificat, eòque enixiùs. Hinc, utì verisimillimum est, oriuntur angor et dolor, quibus hoc morbo correpti, tam mirum in modum, urgentur.

XXXIV. Corde autem undecunque compresso *syncopen angentem* concitari posse, experientia comprobavit. SENACUS citat duo exempla, ubì, quoties, per apertum thoracis parietem et *pericardium*, cor digito specillove tactum est, insequebatur *syncope*. "*I have it* "*in my power*," inquit PARREIUS, "*to con-* "*firm these facts by my own observation. A* "*person long subject to palpitation with enlar-* "*ged heart, to such a degree as to produce con-* "*siderable absorption of the ribs, was always* "*affected*

" *affected with intolerable anxiety and faint-*
" *ness, when I pressed with my fingers on the*
" *extenuated part, corresponding with the*
" *apex of the heart, so as to compress that or-*
" *gan* (A)."

XXXV. Stomachus, ingluvie distentus, accessiones hujus morbi inducit, impediendo, quò minùs septum transversum descendat, utì debet, et cor salutariter amplietur et micet. Accessiones, quas stomachi distentio movet, semper levat ructitatio.

XXXVI. Arteria magna ejusve valvulæ, aut valvulæ ventriculorum, in os conversæ, faciunt, ut revertantur accessiones, obstando, ne naturalibus motibus cor coarctet sese atque explicet.

(A) Vid. PARR. *On Syncop. Angin.* p. 87.

XXXVII. Sedentarii huic morbo idcirco opportuni sunt, quòd sæpiùs, quàm laboriosi, obesi fiunt. Haud raró tamen vel laboriosi hoc morbo corripiuntur, quia eorum cordis arteriarumque valvulæ nonnunquàm in os indurescunt.

XXXVIII. Dolor, et angustiæ sensus, quæ, accessione redeunte, subitò invadunt, spasmo vehementi attribuenda sunt, quo cor afficitur, et qui in ægro, cujus historiam infrà narrabimus, notatu facilis erat. Spasmus autem ipse movetur consensu, qui, per nervos, cordi intercedit cum musculis pectoris.

XXXIX. Spasmo verò pectoris musculos non affici putamus, quoties, dolore nullo, æger angore tantùm vexatur.

XL. Nonnunquàm, post mortem, cor sanguine vacuum est, et pallidum ; partìm, quia, ante mortem, arteriæ *coronariæ* sanguini imp.

perviæ

perviæ evadunt ; atque partìm, quia vita vehementiore omnium simul cordis cavorum contractione, dein quiete, finitur. Arteriis enim imperviis, nullus in cordis substantia sanguis, et, sanguine nullo, nullus rubor, esse potest ; atque, omnibus simul contractis cavis unà quiescentibus, necesse est, cor sit sanguine inane.

PROGNOSIS.

XLI. Quum initio hic morbus cognitu difficillimus sit, et seriùs ociùs lethalis, eo correptos revalescendi spe consolari non possumus. Quantulùm, ad morbum tam formidolosum percurandum, valeat medicina, quotus medicorum quisque ignorat? Sæpissimè ignorant medici, quâ causâ oriatur. Et quid, obsecramus, prodesset, si cognoscerent, cùm cognitam nesciant tollere?

XLII. Si certò scire possent medici, hunc morbum adipe circa cor deposito, vel effusâ aquâ in *pericardio*, sinistrove *pleuræ* sacco, effici, ægri saluti non desperandum esset; cùm, opportunè

portunè succurrendo idoneis medicamentis ac remediis, possent consequi, ut adeps et aqua resorberentur. Sed, quoniam nulla indubia signa sunt, ex quibus pernoscant medici, his, necne, causis oriatur, nesciunt, quâ curatione morbo optatò opitulentur, ægrumque conservent.

XLIII. Ubì *syncope angens* arteriis *coronariis*, quâcunque causâ sanguini imperviis, excitatur, vel cordis valvulis in os induratis, vel ejus cavorum polypodibus, vel magnæ arteriæ trunco, supra modum naturalem, amplificato ; parùm interest ægroti, causamne medici cognoscant, cùm præsertìm nondùm invenerint medicinam, quâ curetur.

XLIV. Quò verò medici sciant in futurum præsagire, debent non pervestigare modò, quibus causis morbus oriatur, verùm animadvertere quoque, quibus ægrum malis urgeat.

XLV. Sicubì

XLV. Sicubì accessiones rariùs redeant, nec tam levibus causis, aut breviùs urgeant leviùsve, de ægro non desperandum erit; cùm liceat sperare, morbum nondùm inveterâsse, et fieri posse ut paulatìm decedat.

XLVI. Contrà, si accessiones crebriùs revertuntur, causis simul levioribus, et ægro etiam recumbente; si longius spatium implent, et levari antè non possunt, quàm æger in eo sit, ut animo linquatur; pessimum est. Hæc enim ostendunt, morbum usquè eò increvisse, ut insanabilis sit, et deplorati ægri non multò diutiùs produci posse vitam.

CURATIO.

XLVII. Medicorum est, quos consulunt *syncope angente* affecti, monere, quibus medicamentis et remediis accessiones leventur, et quâ ratione quibusque præcaveatur, ne accessiones redeant. Utrasque hujus curationis partes fusiùs persequi, et allato illustrare exemplo, nobis consilium est.

XLVIII. *Pars prima*—de medicamentis tractat et remediis, quibus accessionibus subveniatur. De his igitur ordine dicendum est.

XLIX. *Haustus aquæ tepidæ,*—siquandò accessio levis sit, ad mitigandam multùm possunt, ut periculo comperti sumus.

L. *Sanguinis*

L. *Sanguinis missio* — plerumquè, instante accessione, præsentissimum remedium est; et tùm maximè adhibenda, ubì spirandi difficultas urget. Emitti plagâ exiguâ, ægro simul recumbente, debet. Quantum verò elici debeat, judicandum est, explorando, dum sanguis effluit, attollantne se arteriæ, an submittant; et percunctando, numnè, dum accessiones antè urgebant, sanguinem elicere prodesset. Rarissimè tamen paucas plus uncias sanguinis unâ vice detrahere expedit; præsertìm, si appareat, quod, ægrum jam debilem esse, ostendat.

LI. *Frictio.*—Perfricare præcordia rubefacientibus, velut *oleo ammoniato*, aut oleo terebinthino, utì tutum esset, ità haud imbecillum fortassè remedium; neque enimvero novimus, quamobrèm id medici non experiantur.

LII. *Stimulantia* et *spasmum solventia*,—multùm à quibusdam auctoribus laudata sunt. Inutilia

utilia autem putat Parreius, imò, utì compertus est, nonnunquàm haud dubiè nociva. Horum medicamentorum facilè princeps est *æther sulphuricus.* Hoc medicamentum unà cum *tinctura opii*, quippè quod flatum dispergat, accedente accessione, multùm prodest; et haud scimus, annon morbum, etiamnum novum, possit prorsùs sistere, ut alios morbos spasticos, præcipuè *epilepsiam* et *hysteriam*, sistere ipsi haud semel vidimus. Alia autem hujus generis medicamenta laudibus efferunt auctores, præcipuè *camphoram*, oleum succini, et gummes fœtidas.

LIII. Opium, instante accessione, per se dari, Parreius, ut ipse perhibet, nunquàm novit. A Gooduino autem accipimus, tunc datum multùm prodesse. Itidem proficiunt, ut comperti sunt medici, *aqua ammoniæ* et *tinctura lavendulæ composita.* Si quid obstat, quò minùs assumantur stimulantia, sanguis venâ incisâ detrahendus est.

LIV. *Vomitoria*

LIV. *Vomitoria*—laudibus prosequitur PERCIVAL, utpote medicamenta idonea, quibus huic morbo succurratur. Veruntamen, utì nobis videtur, parùm merentur laudes, quibus oneravit hic auctor. Præterquàm enim quòd inefficacia comperti sunt HEBERDENUS, aliique quidam medici, periculum est, ne vehementibus nisibus, quos moveant, æger detrimentum accipiat.

LV. *PARS SECUNDA.*—Dictis medicamentis et remediis, quibus accessiones *syncopes àngentis* leventur, nunc considerandum est, quibus præcaveatur, ne accessiones redeant. In hac rei nostræ parte, opus erit exponere, non solùm idonea medicamenta et remedia, quæ, hunc in finem, adhibeantur, sed et idoneam diætam, vitæque rationem.

LVI. *Evacuantia.*—Judicandum est, quæ medicamenta et remedia sint adhibenda, animadvertendo, quali corporis habitu æger sit.

Dummodò

Dummodò sit obesus, ei subveniendum est iis, quæ materiam demant ex corpore, nimirùm catharticis, medicamentis ex iis quæ sudorem movent, sanguinis missione, fonticulis, *setaceis*, ulcusculis.

LVII. Optima cathartica, quantùm docet experientia, sunt salina, præcipuè *sulphas sodæ*, *sulphas magnesiæ*, *phosphas sodæ*, et *tartris acidulus potassæ*. Hæc æger, temporibus haud longis interpositis, assumere debet. Ex horum ultimo æger, cujus historiam huic disputationi subjiciam, magnam utilitatem percipiebat.

LVIII. Sanguinis missione deplendus, necne, æger sit, etiamnum dubium est. Fonticulos autem in idoneis corporis partibus facere, utilissimum videtur. At verò satius est, ut putant nonnulli, sterno *setaceum* inserere.

LIX. Anno proximo, in duobus hujus morbi exemplis, quæ scriptis mandavit GOODUINUS, pertentatum

pertentatum medicamentum est, quod multùm profuit. Hoc componitur ex drachma una *tartritis potassæ stibiati*, unâ librâ fervidæ aquæ, et semunciâ *alcoholis camphorati;* atque in parte, cui imponitur, ulcuscula movet, in fonticulorum similitudinem. Qui verò plura, de hoc medicamento, volunt scire, ii scriptorem ipsum pervolutent (A).

LX. *Absorbentia.*—Siqua signa indicant, effusum humorem aquosum in *pericardio* contineri, assumenda, sine mora, sunt medicamenta, ex iis quæ faciunt, ut stagnans humor resorbeatur, et sorptus eliminetur, per exitus naturales, ex corpore. Hoc consilio, *digitalis* experienda est; eòque magis, quòd non solùm levet morbum, qui ex effuso humore oriatur, efficiendo, ut bibula vasa hunc resorbeant, sed et sanguinem tardando morbum mitiget, qui nascatur ipsius cordis pravitatibus. Eundem, porrò, in finem,

---

(A) Vid. *Medical and Physical Journal*, vol. VI.

finem, assumenda sunt nonnulla ex medicamentis, quæ suprà memoravimus, præsertìm *tartris acidulus potassæ*.

LXI. *Roborantia.*—Sed, ubì humor, supra modum naturalem, in *pericardio* continetur, non sufficit medicamenta ex iis assumere, quæ faciunt, ut resorbeatur, et sorptus egeratur ex corpore.Prætereà opus est, ut adhibeantur medicamenta, ex iis quæ universum corpus roborant.

LXII. Hunc in finem, alia atque alia medicamenta, præsertìm præparata quædam ex metallis, assumi solent. Hujusmodi sunt, *murias ferri; sulphas zinci; oxydum arsenici album;* atque *nitras argenti*, utì CAPPEUS testatur; *cinchonæ* cortex, utì WILLANUS. Morbus autem, cui *nitrate argenti* succurrit CAPPEUS, nostrâ opinione, neutiquàm *syncope angens* erat; atque alia medicamenta, eaque efficaciora, quàm *cinchonæ* cortex, assumenda curaverat

WILLANUS,

Willanus, quibus, ut nobis videtur, acceptum levamen erat tribuendum. Medicamentis, quæ memoravimus, adjiciendum opium est; utpote quod, interpositis temporibus, datum, ægris nunnunquàm opituletur.

LXIII. *Diæta vitæque ratio.*—Neque medicamentis solùm confirmandi sunt tristi hoc morbo impliciti, sed etiam idoneâ diætâ, vitæque ratione.

1. Cibus, dum parcus est, debet esse valens, et concoctu facilis. Ex carnibus, bovilla, ovilla, et præsertìm ferina, præ cæteris, conveniunt. Carnes salitæ saleve conditæ; pleræque piscium species; quemcunque victum suggerunt stirpibus terræ infixa, is, nisi forsitan *solanum tuberosum;* et, ne multis, quæcunque stomachum inflant alvumve; ex toto, circumcidenda sunt.

 2. Quinetiam,

2. Quinetiam, ut esculentorum, ità potulentorum, ratio habenda est. Cerevisiæ, cæteræque potiones, quæ *acido carbonico* abundant, haudquaquàm assumendæ sunt. Potus, stomacho aptissimus, est aqua mera, aut vinum rubrum LUSITANUM aquâ dilutum. At à calidis aquis, quibus, dum fervebant, macerata *thæa* aut *coffæa* sit, abstinendum est, et haud scimus, annon etiam à frigidulis.

LXIV. Quantùm *syncope angenti* opportunis prosit temperantia in victu, illustrant duo ægroti, quorum historiam GREGORIUS amicissimè, utì solet, nobiscum communicavit. "*Horum alteri*," inquit, "*seni septuagenario, diæta tenuis et parca, et modica et crebra exercitatio, adeò profuerunt, ut, intra paucos menses, præter omnem spem convalescere visus sit: attamen, postquàm per integros sex menses à morbo prorsùs immunis vixerat, subitò exanimis concidit. Alter, senex quoque propè septuagenarius, simili diætâ et exercitatione*

" *usus,*

" *usus, adhuc vivit, levato quidem morbo, sed*
" *minimè fugato.*"

LXV. Proderit quoque modica exercitatio; neque, enimvero, alienum erit nonnunquàm esse in convictu. Verùm frequentes tamen cœtus fugiendi sunt, necnon quæcunque animum multùm concitare possint.

LXVI. Plurimùm denique interest, præcavere consuetudine vitæ, diætâ, et, quoties opus, laxantibus medicamentis, ne alvus tarda sit, dura, aut astricta.

HISTORIA

Historia Medica

LXVII. Thomæ Sutherland, lanii, mariti, quinquaginta tres annos nati, quinto idus Aprilis, anno, post Christum natum, millesimo octingentesimo primo, quo eum tempore primùm vidimus.

LXVIII. Hic homo, qui, usquè ab infantilibus annis, gravibus capitis doloribus et vertigini obnoxius fuit, temperamento corporis sanguineo est; quinque pedes, et octo propè pollices transversos, procerus; obesus; facie floridâ; capillis subnigris; sermone comis affabilisque; in mœstitiam pronus, at non valdè tamen iracundus. Juvenis onera gravissima tollere, unà cum sociis, consuescebat. Olim equitando,

equitando, alitèrve corpus strenuè exercendo, multùm versabatur, atque à cœli tempestatumve vicissitudinibus nihil detrimenti accipiebat. Tam ciborum, quàm potuum, modicus est. Nec stomachus vomitoriis, nec alvus catharticis facilè movetur. Multi anni sunt, cùm, præ dolore, lateri sinistro incumbere non potuit.

LXIX. Anno, post redemptam hominum salutem, millesimo septingentesimo septuagesimo, INDIAM OCCIDENTALEM nave profectus est; atque, postquàm duos ibi annos, optimâ valetudine, commoratus erat, domum redivit. Anno millesimo septingentesimo septuagesimo secundo, JAMAICAM repetivit; atque iterùm, anno millesimo septingentesimo septuagesimo quarto, BRITANNIAM revisit. Redux autem *nervosis* febribus, ut ipse dicit, adeò obnoxius evasit, ut, his semèl iterùmque implicatus, multùm infirmaretur.

LXX. Receptâ valetudine, vitam, sine ullo corporis languore memoratu digno, traduxit, usquè ad annum millesimum septingentesimum nonagesimum tertium. Hoc ferè tempore, animi angoribus confectus, primùm sævis scrobiculi cordis, etiamque capitis doloribus affectus est; necnon, nauseâ matutinâ, alvi tarditate atque duritiâ, et sanguinis nonnunquàm ex intestino recto profusionibus. Hæc mala, quatuor propè annos, at non æquè vehementer, subindè urgebant.

LXXI. Haùd multò pòst, somniculosus, præter solitum, evasit; simulque vertigine subindè afficiebatur, tùm verò maximè, ubì foco assidebat, aut aliquantispèr manebat in quolibet loco calido, attentisve quidvis aspiciebat oculis. Interdum in ipsis vicis ambulanti obrepebat veternus. Noctu, in quiete, subindè spiritum, quasi per angustias, inscius elidebat. Nonnunquàm, voluntatis injussu, sese contrahebant faciei manuumque musculi. Contractiones

tiones autem leves erant, nisi ubì graviores reddiderunt animi angores. Animo insuper demisso erat; et non solùm frequentia ducebat suspiria, sed etiam sæpè de dorsi dolore, et totius corporis lassitudine, conquerebatur. Adeò, porrò, hebescebant oculi, ut necesse esset conspicillis convexis uteretur. Intereà bis malis, quæ narraturi sumus, at paulò levioribus, affectus est.

LXXII. Derepentè, haud secùs atque capiti ictus illatus fuerat, sese movendi potentiâ orbatus est. Sensus quidem manebant, at oculos tamen non poterat claudere. Ad limen elatus, tinnitum quasi in vertice persensit; simulque visus est videre simulacra sinistrorsùm, ante oculos, iterùm iterùmque coruscare. Nauseâ posteà affectus est, tùmque evomuit. Tandem, post duodecimam horæ partem, revaluit. Inter somnum, spiritum, quasi per angustias, non diutiùs elidebat. Desiverunt quoque vertigo, capitis dolor dorsique, veternus, et faciei manuumque

nuumque musculorum contractiones ; nec unquàm redièrunt. Quinetiam, visus clarior evasit ; sed etiamnum, quoties legit, conspicillis utitur.

LXXIII. Sanguinis missio, utì putat, parùm profuit ; quippe cùm dolor ad scrobiculum cordis frequentiùs pòst urgeret violentiùsque, atque corpus noctu multò magis insudaret. Neque, enimvero, plùs profecerunt exulceratoria.

LXXIV. Singulis noctibus, sex fermè libras pallidæ urinæ reddere solet, et duas libras ruberrimæ, et multum sedimenti deponentis, quotidie. Ubì vehementiùs sese exercet ambulando, præsertìm vento adverso, vel loquendo ; at maximè, ubì angitur animus ; gravi, ad scrobiculum cordis, corripitur dolore : qui, ambitu sinistri humeri, et brachii quod voluntatis injussu elevatur sic, ut cum humero angulum propè rectum describat, pertendit ad extremos

digitos

digitos usquè; undè, pòst paulò, eundem remensus ambitum, cordis scrobiculum remeat. Post itum et reditum, dolor desinit, simulque relaxatur brachium sinistrum.

LXXV. Dum hoc dolore cruciatur, qui, ut ipse dicit, nullis verbis potest describi, perindè sentit, ac si aliquid sternum ad vertebras vehementèr attraheret.

LXXVI. Gravioribus accessionibus urgentibus, solet pauxillum aquæ tepidæ, aut aquæ, in quam fervidam macerata *theæ* folia sint, assumere. Hoc adhibito, haud multò pòst sentit, juxtà ac thorax sese expanderet; atque spasmus et dolor decedunt.

LXXVII. Initio, dolor duntaxat scrobiculum cordis afficiebat. Brevi autem, singulis accessionibus, hinc, per utrosque humeros et brachia, pererrabat, usquè ad digitos; neque ità

multò pòst, dextro brachio parcebat, et solum urgebat sinistrum.

LXXVIII. Ferè, ut sanus, spirat et dormit. Quum alvus plerumquè astricta et tarda sit, aloën in pilulas conformatam, quæ citet, identidem assumit. Arteriarum pulsus, sexagesimâ horæ parte, duodenonaginta sunt, validiores solito, duri, aliquandò tam vi quàm temporibus inæquales. Infinitam medicamentorum vim devoravit, quorum naturæ, utì dicit, prorsùs inscius est.

LXXIX. Ei præcepit JACOBUS HOMEUS hujus Academiæ, ut aquam, *tartrite acidulo potassæ* saturatam, pro potu quotidie communi, biberet.

LXXX. Quarto iduum Junii, anno millesimo octingentesimo primo, laboris, quàm per complures antè annos, multò erat patientior. Minùs simul obesus erat, facie minùs rubicundâ, et

et meliore, per omnia, fruebatur valetudine. Accessionum, quæ, eodem anno, post Aprilem, advenerant, nonnullæ noctu invaserunt, et, tribus noctibus continuis, eâdem repetiverunt horâ.

LXXXI. Duodecimo kalendas Decembres, quum ingravesceret morbus, monente HÖMEO, præscripsi, lintea succida ex GOODUINI lotione (A), scrobiculo cordis ter quotidie applicanda esse.

LXXXII. Undecimo kalendarum Januarii, ulcuscula multa applicato medicamento, quod suprà exposuimus, facta sunt, ex quibus multum puris effusum est. Nunc verò paulatìm sanescunt. Debilitas et molesta tussis urgent. Dolor aliquandò internum tantùm humerum invadit.

LXXXIII. Sexto

(A) ℞. *Tartrit. Potass. Stibiat.* ʒi.
Spirit. Camphor. ℥ſs.
Aq. Fervent. ℔j. Misc.

LXXXIII. Sexto kalendas Februarias, anno millesimo octingentesimo secundo, firmiore gaudet valetudine, atque, doloris expers, levem laborem pati potest. Redeunte dolore, pars, cui lotio applicata est, livescit, dolet, et pustulis obsidetur, quæ, decedente dolore, subsidunt et evanescunt. Vires aliquantùm reviruerunt, et facies multò minùs turget et rubet.

LXXXIV. Hunc morbum, auctore PARREIO, *SYNCOPEN ANGENTEM* nominavimus. Nostrâ verò opinione, hoc nomen parùm convenit; cùm, vel urgente accessione, arteriarum pulsus ferè naturales sint, ægrique nunquàm animo linquantur.

